

203 Quæres I. intra quod tempus sit petenda reductio?

Resp. intra decem dies à tempore prolati & notificati laudi numerandos. Gonzalez *cit. l. sub n. 21. Brunnem. ad l. mox citand. n. 9.* Si enim intra decendum non contradicatur laudò, præsumitur esse ratificatum, homologatum, & quasi in rem judicatam transiisse; sicque nulla recedendi facultas ulterius conceditur per textum in *l. pen. in pr. §. fin. autem.*

204 *Cod. de Recept. Arbitr.* Quemadmodum si appellatio intra decendum non fuerit interposita, sententia transit in rem judicatam, omneque rescissionis remedium excludit *cap. quod ad consultationem 15. de Sent. & re jud.*

205 Dissentit Gail. 1. *obs. 150. n. 2.* & reductionem ad triginta annos usque permittit, hæc persuasus ratione, quòd jus reducendi sit personale, sicque non aliam, quàm triginta annorum præscriptionem subeat *l. sions 3. Cod. de Prescrip. 30. vel 40. annor.* Sed lubrica est ista ratio.

Nam etiam jus appellandi est personale, & tamen, nisi exerceatur intra decendum, interit *d. cap. quod ad consultationem 15. de Sent. & re judic. Auth. l.odie Cod. de Appellat.* Ergo & jus reducendi, quod appellationem imitatur *arg. l. non distinguemus 32. §. 14. ff. de Recept. licet personale sit, decendii metâ poterit concludi.* Nisi forte lætio sit enormis per ea, quæ habet Brunnem. *cit. l. n. 10.*

207 Quæres II. coram quo Judice petenda sit reductio?

Resp. coram eo Judice petendam, qui, semotò compromissò, ipsius causæ, apud Arbitrum disceptata, fuisset competens. Ita cum Lanfranco, Saliceto, Bachovio, Hunnio, & aliis relatis concludunt Gail. 1. *Obs. 49. n. 2. Covarruv. Var. resol. lib. 2. cap. 12. n. 1. Gonzalez cit. l. sub n. 19.* Ratio est: quia reductio datur ad Arbitrium boni viri: bonus autem vir in Jure vocatur Judex competens *l. vir bonus 180. ff. Judicatum solvi l. concinnus 137. §. 2. ff. de V. O.*

208 Pauci, qui Judicem Arbitri adeundum exi-


stunt, argumentum sumunt ab appellatione, quæ ad Judicem Superiorem respectu ipsius Judicis judicantis interponitur. Sed disparitas est in eo: quia appellatio supponit Judicium & Judicem strictè dictum; reductio verò non Judicem strictè, sed improprie talem supponit. Unde illa ad Superiorem; hæc ad Judicem Ordinarium causam devolvit.

Quæres III. detur à Judice reductionis appellatio? Quinègant appellationem, duplici fundamentò se muniunt. Primum est: quòd Judex Reductionis in locum Arbitri succedat; & consequenter eòdem Jure utatur. Secundum est: quòd Judex Reductio- nis tanquàm vir bonus judicet: ab eo autem, qui judicat tanquàm vir bonus, appellare non liceat per *l. societatem 76. ff. pro Socio.*

Qui affirmant (& hi prioribus longè potiores sunt, videlicet Covarruv. *cit. cap. 12. n. 3. & seqq. Gail. d. obs. 49. n. 5. Gonzalez d. l. n. 20. cum allegatis ibid.*) unica sed momentosa ratione ducuntur: quia appellatio semper est concessa, quando prohibita non invenitur per *l. & in majoribus 20. Cod. de Appellat.* Hic verò non reperitur prohibita, sed potius ex eo, quòd tantum in Arbitrio sit interdicta, per argumentum ab exceptione ad regulam, tacitè concessa reputatur.

Ad primum fundamentum negantium respondetur, Judicem reductionis in locum Arbitri succedere, quoad causam cognoscendam; non autem quoad modum cognoscendi: nam Arbitrèr judicat autoritate privata, ut homo privatus; Judex judicat autoritate publica, ut homo publicus. Ergo ab isto, non item ab illo provocari fas est.

Ad secundum Resp. Judicem boni viri nomine in Jure designari per textum in *num. 207.* Adeòque sicut à Judice, sic etiam à viro bono conceditur appellatio; nec quicquam obloquente *d. l. societatem 76. ff. pro Soc. ut legenti fiet compertum.*



TRA-

TRACTATUS II. DE PROCESSU JUDICIARIO ANTE LITIS CONTESTATIONEM.

Judicium, relatè consideratum, quatenus scilicet denotat ordinem & modum procedendi, formabatur de Jure Veteri vel coram Prætorè, vel coram Judice dato seu pedaneo. Coram Prætorè disceptari solebant ea capita, quæ liti contestationem antecedunt. Coram Judice liti contestari, eaque, quæ litem contestatam subsequuntur, tractari consueverunt. Quæ procedendi varietas, tametsi Jure Novo, quoad Prætoris & Judicis personam, sublata fuerit; alia tamen procedendi ratio ante liti contestationem; alia postea, modernò Judiciorum stylo, etiamnum observatur. Unde non inconueniens erit, Processum Judicarium, quò pacto sit ante liti contestationem instituendus, separatim examinare.

CAPUT I. De Libello.

Processus Judicarius juxta Romani Juris placita duxit initium à citatione, veluti testis est omni exceptione major Imperator Justinianus in *§. ult. Inst. de Pen. temerè litigant.* Factaque citatione, primum edita fuit actio, vicem Libelli tunc sustinens per textum in *l. quâ quisque 1. in pr. & §. 1. ff. de Edend.* Ac juxta viridem plurium retrò sæculorum observantiam, cui SS. Canones facem prætulere, Processus incipit à Libello; post cujus oblationem, primum decernitur citatio. Gonzalez in *cap. dilecti 6. de Judic. n. 8.* Est itaque

SECTIO I. De Natura, Partibus, Divisione, & Necessitate Libelli.

SUMMARI A.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Libelli etymologia. 2. & seqq. Homonymia. 6. Varia elogia. 7. Definitio. 8. Requirit scripturam. 9. Offeritur ab actore. 10. & 11. Continet principalem actoris intentionem. 12. Servatis servandis. 13. & seq. Offeritur Judici. 15. Inferitur supplicationi. 16. Prima & substantialis pars est Narratio. 17. Secunda Medium concludendi. 18. In actione personali non sufficit, exprimere causam proximam. 19. Secus in actione reali. 20. & seqq. P. SCHMER JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.</p> | <p>Quidnam consilium sit? 24. Tertia pars est conclusio. 25. Partes accidentales sunt Exordium, in quo nomen Judicis; & 26. Actoris ponitur; & 27. Principalis persona, cuius nomine agitur. 28. Clausula. 29. Subscriptio. 30. Omnis Libellus includit Syllogismum. 31. Qui tamen varè potest immutari. 32. Libellus alius est criminalis, alius civilis. 33. & seq. Utriusque differentia. 35. & 36. Alius summarius, alius articulatorius. 37. Libellus in omni pro-</p> |
|---|---|

processu regulariter desideratur. 38. Excipiunt summarius. 39. Inquisitorius. 40. Fam. senel finitus. 41. Inter duos de possessione contendentes infitusus. 42. Appellatorius. 43.

Rejicitur exceptio in causa depositi. 44. & seq. Semper tamen aliquis petitio debet intervenire. 46. & seq. Quid Juris sit in Tribunalibus Romanis?

§. I.

Quid sit Libellus?

- 1 Libellus diminutivum est à Libro: sicut enim per librum prolixius quoddam scriptum intelligimus; ita per Libellum breviorum aliquam scripturam, per pauciora folia, sed pro re nata, deductam, denotamus. Speculator de Libell. concepit. in pr. n. 6. Miller ad Struv. exercit. 5. ad pand. th. 38. lit. a.
- 2 Libelli significationes quamplurimæ reperiuntur in Jure. Celebriores sunt sequentes. I. significat preces supplices l. item apud 15. §. 29. ff. de Injur. l. & cum 6. ff. ad L. Fal. de Vi publ. l. relegatorum 7. §. 18. ff. de Interdict. & relegat.
- 3 II. significat literas dimissorias, vulgò Apostolos, quas in causa appellationis duntaxat ad quem exarat r. t. ff. de Libell. dimissor.
- 4 III. significat epistolam, quæ conjuges sibi divortium seu repudium denuntiant l. si pennisuit 7. ff. de Divort.
- 5 IV. significat quæcumque scripturam, chartam, tabulam, instrumentum l. si publicanus 4. §. 1. ff. de Publican. & vectigal. l. Prator ait 1. in pr. ff. de Tabul. exhibend. l. falsus creditor 43. §. 8. ff. de Furt.
- 6 V. significat specialiter illam scripturam, quam actor in principio litis Judici porrigit. In quo sensu accipitur in Tit. III. Libri II. Decretal. de Libelli oblatione & in Tit. XX. Libri I. Cod. Quando Libellus Principi datus &c. passimque à DD. fundamentum judicii, truncus arboris Judiciaræ, cynosura Judicis, regula processus &c. appellatur. Wefenbec. p. 2. conf. 23. n. 6. Lauterb. ad tit. ff. de Edendo §. 3. Miller cit. l.
- 7 Definiri potest in adstructo sensu Libellus, quod sit scriptura, principalem intentionem actoris ritè complectens.
- 8 Dixi l. scripturam; ut primò mox fronte declararem, Libellum necessariò in scriptis formandum esse, per text. in cap. Ignarus 1. de Libelli oblat. in fin. ibi: Libellum conscribentes porrexerunt. Ratio est: tum quia per Libellum scriptum actiònis instruitur Judex tam de causa cognoscenda, quam sententia Libello conformiter ferenda: tum quia non minùs adversarius ex Libello scripto certius agnoscit, an cedendum sibi, an Judici contendendum sit. Gonzalez in Commentar. ad cit. cap. n. 8.
- 9 Dixi II. principalem intentionem actoris. Ubi subijcio duo notamina. Primum est, quòd Libellum non reus, sed actor offerat arg. Nov. 53. cap. 3. in pr. & §. 1. indèque transumptæ Auth. offeratur Cod. de Lit. contest. sicut enim solus actor est agere, ita & actionem in scriptis proponere. Nisi reus tantùm se defendere, sed insuper actorem reconvenire paratus foret: tunc quippe, cum actor evadat, actoris quoque munus assu-

mit, & Libellum offert per Clem. sepe 2. §. verùm de V. S. Alterum est: quòd, cum Libellus ex num. 8. eum in finem scribatur, ut & Judex, & reus intelligat, quam ob causam actor ad instituendum processum commotus fuerit, utique principalem intentionem agendi manifestare debeat. Indèque definitionem Hahnii, qui Libellum vocat scripturam, quæ intentionem actoris continet, velut minus quadrantem rejicit Lauterbach cit. l. §. 4. quia etiam citatio continet intentionem actoris, sed non principalem, cujus gratia actor ad Judicium provocavit.

Dixi III. ritè complectens. Equidem, ut Libellus ritè & rectè concipiatur, res ardua & periculosa videtur Zasio & Cravette, apud Millerum cit. l. allegatis: quia videlicet salus & victoria ex rita conceptione pendet. Sed ego, magis arduum esse, opinor, genus actionis in quibusdam casibus eligere, quam Libellum bene formare: dummodò enim partes Libelli, statim in §. seq. enumerandæ, suo ordine collocentur, Libellus censetur aptè formatus: nisi autem in aliquibus eventibus ex concursu plurium actionum illam, quæ melior & utilior est, quæ eligat, non solum nullissimum audit apud Imperatorem in §. ceterum §. Inst. Quod cum eo, qui in alien. sed & causam seipsum perdit, ut pluribus locis ostendit Stryck in tract. de Action. forensi.

Quæres: eunam Libellus præsentari debeat, Judici, an reo? Ummius ad Processu Judiciar. disp. 6. th. 9. n. 41. variorum opinionibus recensitis, vulgò sic observari, scribit, ut, reò, post factam ad narrata supplicantis citationem, comparent, actor in duplo Libellum exhibeat, & Judex alterum extradat reo, alterum ad acta reponat.

Verùm, quia in Recessu Imp. de Anno 1654. §. distem nachst 34. constitutum legitur, ut Libellus ab initio porrigatur Judici; & de hinc unà cum citatione reo transmitatur, quatenus hic plenius fecum de Judicio suscipiendo deliberare valeat: sanè non dubito, quin Libellus primò Judici offerendus; & reo postea simul cum citatione sit communicandus. Lauterb. cit. l. §. 3. Stryck in usum mod. Pandect. ad tit. de Edendo §. 1. in fin. Brunnem. de Processu Civ. cap. 5. n. 1.

Colliges ex dictis: Supplicam pro decernendis processibus, licet alias distinguatur à Libello in eo, quòd solas preces supplicantis, citra rationem agendi, complectatur, cum Libello, qui statim offertur Judici, convenire, prout sentiunt Lauterb. d. §. 3. Clariss. D. Joannes Georgius Fleck in sua Biblioth. Jur. lib. 5.

lib. 5. tit. 28. num. 2. quia, secundum mox dicenda, ipsimet Libello, ad Judicem destinato,

petitio pro decernendis processibus in conclusione adjicitur.

§. II.

Quot & quales partes habeat Libellus?

- 16 Partes Libelli vel substantiales sunt, vel accidentales. Substantiales numero tres; Narrationem, Medium concludendi, & Conclusionem. Narratio continet brevem ac perspicuam facti speciem, cum expressione circumstantiarum loci, temporis, personæ, &c.
- 17 Medium concludendi est nihil aliud, quam causa petendi, seu jus & titulus, quem ex proposita facti specie deducit actor contra reum. Hæcque petendi causa alia dicitur proxima, videlicet ipsum jus vel ad rem, vel in re; dominium, servitus, obligatio &c. Aliaremotæ, nempe titulus, ex quo jus in re, vel ad rem oritur, v. g. legatum, emptio, donatio, præscriptio, locatio &c.
- 18 Et quidem in actione personali non sufficit, pro medio concludendi causam proximam duntaxat, seu jus ad rem & obligationem, exprimere cap. nis. b. t. quia, si dicas e. g. Titium esse tibi devinctum ad solvendum 100. nec addas, ex quo titulo, an ex mutuo, an ex venditione, an ex locatione &c. Titius necdum scit, utrum magis expediat sibi, litigare vel cessare.
- 19 Secus est in actione reali. In hac enim sufficit, pro medio concludendi causam proximam assignare, dicendò v. g. quòd, cum Dominus sis rei petite, possessor justissime condemnatur ad restitutionem: dum hoc solò, quòd te Dominum rei petite asseras, adversarius jam agnoscit, utrum jus retinendi, vel obligationem restituendi habeat. d. cap. ult. b. t. ubi Gonzalez in commentar. n. 1. P. Engel. ad b. t. n. 4. & communis.
- 20 Interim longè melius & utilius esse, plerique docent, etiam in actione reali causam remotam seu titulum, ex quo dominium v. g. partum erat, apponere: enim verò si actor in probatione tituli succumbat, & reus absolvatur, non prohibetur, litem instaurare, aliamve dominii causam & titulum demonstrare l. si mater 11. §. 4. & §. 5. ff. de Except. rei. judic. & ibi Brunnem. n. 4. & §. seq.
- 21 Cum econtra si causam proximam solitariè posuerit, atque in probatione dominii defecerit, non amplius adiatu vel admittatur, esto dominium ex nova causa probare velit l. & in eadem 14. §. 2. 22 ff. d. t.
- 22 Ratio diversitatis est: quia, qui suam intentionem generaliter in dominio fundat, totum jus suum, quod habet, in Judicium deducere, ac super eo vel vincere vel vinci præsumitur. Qui verò specialem titulum adducit, eum solummodò Judicio includere, atque ex eo solo victoriam aut perdere aut parere contentur per textum opportunum in cap. Abbate 3. §. porrò de Sent. & re judic. in 6. ubi Passerinus in commentar. n. 2. & §. seq.
- 23 Quamquam ex eo capite consultius videri posset, causam remotam in actione reali non attexere: quia, si dominium v. g.

post litem contestatam superveniat, actor nihilominus vincere oportet; quod neutiquam evenit, si causa remota exprimitur per cit. cap. Abbate 3.

Conclusio est petitio actoris, quæ Judici & reo suggerit, quid, quantum, & quale, illi actori adjudicare; hic verò præstare teneatur. Atque hæc Libelli pars maximè consideratur, utpote de qua verificatur illa Juris & Jurisperitorum maxima, quòd sententia debeat esse Libello conformis. Confer Gall. 1. obs. 61. n. 13.

Partes accidentales itidem tres statuo. Exordium, Clausulas, & Subscriptionem. Exordium continet I. nomen Judicis, non quidem proprium, ut cum Vultejo de Judic. lib. 2. cap. 1. n. 93. & Ummio cit. disp. 6. th. 11. n. 49. docet Lauterbach. cit. l. §. 10. sed nomen officii & Jurisdictionis, cum honorificè competentis tituli præmissione & allocatione. Author Introduct. ad praxin forensi. cap. 3. §. 3.

II. 26 continet ingressum ad materiam cum expressione nominis actoris, vel formaliter, vel relative ad subscriptionem v. g. infra scriptus; nec in prima tantum persona actor Libellum incipit, v. g. Compareo coram Inclyto hoc Tribunale; sed etiam in tertia v. g. Compareo coram Sua Dominazione &c. imò & planè impersonaliter v. g. proponitur Excessu Regimini à me actor &c. Germanicè ich erscheine, utrum jus retinendi, vel obligationem restituendi habeat. d. cap. ult. b. t. ubi Gonzalez in commentar. n. 1. P. Engel. ad b. t. n. 4. & communis.

Quodsi alienò nomine quis experitur, præter nomen proprium, nomen quoque principalis, in cujus favorem agitur, adjiciat, oportet, veluti de Prælati Ecclesiasticis, nomine suarum Ecclesiarum agentibus, supponitur in cap. littera 3. de Dilat. ibi: Ecclesia sua nomine &c. & in cap. inter dilectos 6. de Fide instrum. ibi: Abbas nomine Monasterii &c. Nec sicilicet non tam alienam, quam propriam causam tueri videatur. Haunold. Jurisprud. Judiciar. tom. 1. tract. 3. n. 138.

Clausula vel immisceri Libello vel in fine, & subijungi solent. Earum tam multæ sunt, ut omnes enumerare, satis laboriosum, nec proficuum foret. Referemus nonnullas in sect. 3. n. 94.

Subscriptio comprehendit totum nomen actoris, si antecesserit non fuerit explicatum; si autem in ingressu fuerit expostum, in subscriptione solà cum relatione petitur, v. g. idem qui supra &c. Author Introduct. ad praxin forensi. cit. cap. 3. §. 7.

Interes ex præcedentibus I. verissimum, esse, quòd omnis Libellus syllogismum vel forma-

formaliter vel virtualiter includat, ita ut Narratio facti minoris propositionis vicem; Adidum concludendi locum propositionis majoris; Petitio munus Conclusionis sustineat. Miller ad Struv. d. exercit. 5. th. 39. l. a.

31 Inferes II. Syllogismum Libellarium diversimodè immutari posse: quodque enim Narratio itatim in majori propositione, & Adidum concludendi in minori collocatur; idque convenientius esse, cum ex præcedenti factò

§. III.

Quotplex sit Libellus?

32 Libellus, quoad sè & partes suas hucusque descriptus, multifariam à multis dividitur. Ego cum Magnif. D. P. Roberto König ad h. l. n. 3. & 4. tantummodò binam divisionem facio, & divido Libellum I. in Civilem & Criminalem. Civilis est, qui pro objecto habet causas civiles, in quibus ad commodum & interesse privatum agitur. Criminalis, qui pro objecto habet causas criminales, in quibus vel ad publicam vindictam, vel emolumentum Fiscì litigatur.

33 Differentia inter Libellum Civilem & Criminalem non una intercedit. Nam, quòd in num. 24. præmissum fuit de conclusione, circa quidditatem, quantitatem, & qualitatem rei faciendâ, pertinet ad solum Libellum Civilem: quia enim in causis criminalibus Leges ipsæmet penam determinant l. accusatorum 1. §. 4. ff. ad Sc. Turpillian. l. ordine 15. in pr. ff. ad Municipial. non opus est, penæ quidditatem, quantitatem, aut qualitatem in Libello Criminali determinare, sed sufficit, generaliter concludere & petere, ut reus juxta dictamen Juris puniatur, daß der Bescholte nach Aufweisung der Nechten bestrafft werde. P. Engel h. l. n. 5. Carpz. præf. criminal. p. 3. q. 106. Lauterb. 34 cit §. 14. Similiter in Libello Criminali quidpiam de Jure Communi requiritur,

§. IV.

Sitne Libellus necessarius?

37 Libellum regulariter in Processu Judicario necessarium esse, & ita quidem, ut absque Libello processus haud subsistat, constat tum ex cap. Ignarus 1. h. l. tum ex l. ult. Cod. de Annali except. tum ex Nov. 52. cap. 3. §. sancimus 1. & tradunt Eminentiff. Card. de Luca de Judic. disc. 8. n. 1. Welenbec. consil. 23. p. 2. n. 6. Obrecht de form. Lib. cap. 28. num. 2. Miller ad Struv. cit. exercit. 5. th. 38. l. a.

38 Excipitur tamen ab hac regula I. processus summarius: cum enim Libelli conceptio meram solennitatem Juris positivi sapiat, in processu summario, ubi ad solum Juris Naturæ simplicitatem attenditur, non exigitur. Clement. sæpe 2. de V. S. Card. de Luca cit. l. n. 5.

39 II. excipitur processus inquisitorius, ad quem, dum nulla prærequiritur actio vel accusatio, sed viâ inquisitionis ex officio deveni-

sus oriatur per l. omnes debitores 17. §. 1. ff. Qua in fraud. creditor. monet Schaher ad cit. tit. de Ed. p. 69. nonnunquam causâ petendi (si manifesta sit) penitus omisâ, sine ambagibus conclusio subjicitur. Lauterbach. cit. tit. §. 1. l. 13. & seq. Plurima exempla Libellorum passim exhibent Authores; inter quos citatus Schacherus ad singulos titulos Pandectarum singula exempla & modos Libellandi proponit.

quod in Libello Civili non desideratur; inscriptio videlicet ad penam talionis, seu obligatio ad eandem penam in casu non probati criminis subeundam, quam, crimine probato, reus subire debuisset cap. super bis 16. de Accusat. l. si cui crimen 7. in pr. & 86. seqq. ff. eod.

II. Libellum divido in Simplem & Articulatam. Simplex dicitur, in quo factum simpliciter, summam, & unâ quasi seriè narratur. Articulatam appellatur, in quo factum per articulos & membra distincta proponitur, ponendò scilicet & redigendò singulas circumstantias loci, temporis, dei, horæ, personarum, verborum &c. in singulos articulos.

Hæc divisio, quamvis Juri scripto vix cognita sit, est tamen Jureperitis non ignota, ab eo præsertim tempore, quò Libellus articulatam Germaniæ moribus inventus, ac expressâ Cameræ Imperialis Ordinatione in p. 3. tit. 12. §. tum andern &c. postmodum comprobatus, in compluribus Tribunalibus diu viguit, donec per Rec. Imp. de Anno 1654. §. 34. & 46. fuerit abrogatus: eò quòd experientia doceret, non paucos articulos planè impertinenter Libellis inferri, litesque exinde nimium quantum protelari, veluti latè demonstrat Jacobus Blumius de Processu Camerali cit. 68. num. 6. & seqq.

tur, Libellus frustra desideratur per cap. olim 26. de Accusat.

Excipitur III. lis, quæ movetur de causâ, per 40 sententiam vel transactionem jam decidâ: in hac namque, si alterutra pars aliquid de novo fieri vel immutari petierit, non offertur Libellus, sed officium Judicis simpliciter imploratur l. terminato 3. Cod. de Furt. & lit. expens. ne repetitâ lite, finis negotii alterius causa fiat exordium, ut loquitur Imperator in l. si quis 1. in fin. Cod. de R. C.

Excipitur IV. Judicium duplex in interditi 41 cto uti possidetis, ubi, si duo de possessione contentant, & neuter Libellum offerre velit, veritus, ne hoc ipsò suum adversarium possidere fateatur arg. cap. cum dilectus 2. de Ord. cognit. citra Libellum, processum ad probationibus inchoandum esse, judicant P. König ad h. l. n. 10. & Miller ad Struv. cit. loc.

V. exci-

42 V. excipitur secunda instantia, seu causa appellacionis, à sententiâ definitiva, vel definitiva vim habente, ad Superiorem interpositâ: in ista liquidem appellanti liberum est, aut exhibere Libellum, aut acta prioris instantiæ denudò repetere, prout deciditur in Recessu Deputat. de anno 1600. §. Soßß auch vermög 110. sicque de praxi Curiæ Romanæ fervari, notat ex Scaccia P. König d. l. n. 16.

43 VI. excipitur à quibusdam causa depositi propter l. si quis 11. Cod. Depos. Sed invitâ Legge. Nec enim verbulum in recitato textu extat, quò Libellus in causa depositi prohibeatur. Id solum ibidem vetatur, ne repetenti rem depositam retentio, compensatio, vel alia exceptio, quæ restitutionem impediât, obijciatur: quò stante, nihilominus potest Libellus præsentari. Sichard ad cit. l. n. 4. Ummius in Proc. cit. disp. 6. th. 10. num. 43. Miller ad Struv. ubi supra.

44 Porro in illis causis & casibus, in quibus necessitas libellandi remittitur, nihilominus aliqua petitio actoris & talis quidem exposcitur, ut Judex perinde ac reus de intentione agendi aequaliter informetur: cæteroaquin nec reus defensionem suam instruere, nec Judex aptam pronuntiare sententiâ valeret. Miller ib.

In aliis quoque causis, ubi Libelli necessitas adstruitur, hodie non amplius ad antiquas solennitates respici, sed tantum ad narrativam, & qualem qualem actoris petitionem attendi, testis est Card. de Luca cit. disp. num. 4. Quia etiam in n. 11. nec non in Relat. Cur. disc. 32. n. 10. commemoratur, in Rota Romana locò Libelli succedere commissionem: posteaquam enim actor vel petitor Summo Pontifici porrexit supplicationem, atque suam intentionem & actionem in ea proposuit, decernitur commissio, continens tenorem supplicationis, ac causa uni ex Auditoribus Rotæ delegatur. In Tribunali Cameræ Apolliticæ in vicem Libelli vel commissionis propositionem ab appellante fieri, scribit idem Card. in Relat. Cur. disc. 33. n. 16. quâ scilicet lata contra se sententiâ nullitatem, aut injustitiam docet. In Sacris Congregationibus, cum more Primæ cipi potius, quam Judicis, Supremas Vicarias Pontificis partes gerendò, in forma summaria & extrajudiciali procedere soleant, ex testimonio prælaudati Cardinalis de Judic. d. disc. 8. n. 16. controversiæ sumunt initium à memorialibus vel supplicibus Libellis; neque per sententias aut decreta, sed per resolutiones & oracula finem causæ recipiunt.

SECTIO II.

De Objecto Libelli.

SUMMARIA.

49 Actio est objectum Libelli. 50. An specificum actionis nomen exprimendum? 51. & seq. De Jure Canonico negatio videtur certa. 53. De Jure Civili nonnulli textus in contrarium proponuntur. 54. & seq. Sed fortiores longe contra hos afferuntur. 56. Additur ratio. 57. & seqq. Contraria diuturnæ. 61. Notamen ex Stryckio. 62. Plures actiones possunt alternatim cumulari. 63. Rei vindicatio cum remediis possessorii. 64. Actio publiciana cum rei vindicatione. 65. Querela nullitatis cum restitutione. 66. Petitio hereditatis ex testamento & ab intestato. 67. Plures actiones conjunctivè an proponi valeant? Plures traduntur

regula. 68. Aliantes, ex diverso jure ad diversa ordinata, possunt conjungi. 69. & seq. Simul contraria non snt. 71. Plures actiones reales non rectè concluduntur. 72. Excipiuntur remedia possessoria. 73. & seqq. Etiam remedium retinendæ cum rei vindicatione cumulari potest. 76. & seqq. Plures actiones personales, rei persecutoria, non rectè conjunguntur. 79. & seq. Nisi ex diversa causa oriatur. 81. & seq. Nec utraque lucrosa sit. 83. & seq. Actio penalit cum actione rei persecutoria aprè cumulari. 85. & seq. Actiones penales eandem cumulantur, ut, quòd minus est in una, per alteram consequatur. 87. De criminalibus revisivæ.

§. I.

An nomen actionis in Libello specificè sit exprimendum?

49 Pro objecto Libelli actionem pono. Quamquam enim res petita videatur esse objectum Libelli: nihilo tamen minus quia res petitur mediante actione, quæ dicitur esse jus persequendi in Judicio, quòd sibi debet juxta primo. Inst. de Action. actio quoque rationem objecti habet, & quidem immediatâ. Eaque propter Juri Veteres locò Libelli actionem edî volebant per text. in l. quâ quisque 1. in pr. & §. 1. ff. de Ed. ibi: edere est etiam copiam describendi facere, vel in Libello completi &c.

50 Controvertitur autem: an nomen actionis in Libello specificè sit exprimendum, atquò ut acturus v. g. ex mutuo, stipulatu, domi-

nio &c. debeat expressim dicere, quòd conditionem certi ex mutuo, actionem ex stipulatu, rei vindicationem &c. instituat; an verò sufficiat, mutui dationem, stipulationem, aut dominium ita describere, ut Judex satis intelligat, quid, quò jure petatur, & à quo?

Si consulam SS. Canones, responsum ex 51 peditum suggerit Alexander III. in cap. dilecti filii 6. de Judic. nempe non esse scrupulosè inquirendum, cujusmodi actio intentetur, sed simpliciter & purè altum ipsum & rei veritatem investigandam. Latè Gonzalez in d. cap. n. 9. & alii Interpretes communiter.

Nec obitat cap. ex literis 1. de Abusis petiti. 52

in quo idem Alexander mandat, ut, *actione proposita & responsione facta*, negotium terminetur: aliud namque est, actionem proponere; aliud, specificum nomen actionis exprimere. Illud fieri censetur, dummodò factum sic describatur, ut, qualis actio competat, innotescat; hoc insuper exigit, ut, quod actio nomen à Jure fuit accepta, specificetur.

53 Sin ad Jus Civile nos conferamus, res non nihil ambigua appareat; I. quia in *cit. l. quò quisque 1. in pr. ff. l. edita actio 3. Cod. de Edendo* jubetur actor suam actionem edere. II. quia in *l. non videtur 33. ff. de Judio*. Modestinus, non videtur, ait, in *Judicem confessisse, qui edis sibi genus apud eundem Judicem desiderat actionis*. III. quia, respiciendò ad veterem Romanorum Ilylum, solebant dari Judices Pedanei cum certa formula actionum.

54 Receptissima tamen & practica sententia cum Gaill. *lib. 1. obs. 61. n. 9. Perez in Cod. ad tit. de Ed. num. 8. Zoëf ad tit. ff. de Ed. num. 8. Struv. ibid. d. exercit. 5. th. 40. Stryck in usu. mod. pand. eod. tit. §. 1. Brunnem. ad cit. l. edita actio 3. Cod. de Ed. n. 8.* contra Donellum tenet, ne quidem de Jure Civili nomen actionis specificè adstruendum esse.

55 Cuiusmodi adstruendum esse. Cuiusmodi fragatur *l. l. ruter datus 69. ff. de Fidejussor. ubi Tryphonius, non titulus actionis, inquit, sed debiti causa respicienda est. II. l. si filius familias 3. Cod. ad Sciam Maecdon.* ubi similiter Imperatores indicant, *originem potius obligationis, quam ritulum actionis considerandum esse. III. l. certum est 6. ff. de R. C. ubi ad rei certitudinem nihil interesse, supponitur, an suo nomine, aut eà demonstratione, qua nominis vice fungitur, designatur*, *qua nominis vice fungitur, designatur*.

56 IV. non spernenda ratio: quia actio præscriptis verbis, cum nomine specificò careat per textum in *l. nonnunquam 1. in pr. cum 3. ff. de P. V. utique non potest in Libello specificè nominari: adeoque, sicut in hac actione sufficit, factum sic enarrare, ut agentis intentio deprehendatur per *l. cum nota 6. Cod. de Transact. pariter & in ceteris actionibus**

sufficiet, ita rem declarare, ut desiderium actoris fiat liquidum & luculentum.

Nec ambiguitatem involvunt textus oppositi. Nam edere actionem ex ipsa *l. quò quisque 1. in pr. ff. de Ed. nihil est aliud, quam causam agendi tam clarè ob oculos ponere, ut sciat reus, utrum cedere, an contendere ultra debeant; si contendendum putat, veniat instruis ad agendum, cognita actione quò convenientur; verba sunt Ulpiani in *cit. pr.**

Quò verò secundum *l. non videtur 33. ff. de Judio*. non videatur in Judicem consentisse, qui genus actionis sibi desiderat apud eundem Judicem edi, non habet hunc sensum, quasi specificè actionis nominatio consensum in Judicem operetur; sed iste *cit. l.* sensus est, non ceteri Judicis incompetentis Jurisdictionem ex parte rei conventi tacitè prorogatum, etiam si petierit ab actore, ut actionem, quam contra se intendit, edat ac manifestet, nisi litem, apud eundem Judicem, fuerit contestatus per *l. nemo post litem 4. Cod. de Jurisd. omn. Judio*.

Ad illud, quod in *num. 53.* de formula actionis, apud Romanos quondam usitata, fuit objectum, respondet Perez *cit. l.* concedi posse, quòd, antequàm formulæ actionem in *l. Juris formule 1. & l. seq. Cod. de Formul. & imper. act. subl. sublata fuerint, actio specificè debuerit nominari. Sed, meò Judio, neque tunc necessum erat, nomen specificum actionis determinare: quandoquidem formulæ dandæ & nominandæ actionis non tam actorem quàm Prætorum concernebat.*

Cæterum solerter advertit Stryck *cit. §. 1. 61.* ab usum ex ista sententia natum, ut negligenter admodum in Libellis formandis plerumque sint Advocati, suo fe officio fatiscisse rati, si modo factum narraverint; huic autem socordia medicinam promptissimam patet, subinfert, si reus actori non-competentis actionis exceptionem opposuerit: sic enim per indirectum actorem compelli, ad nomen actionis exprimendum.

§. II.

Possintne plures actiones in eodem Libello alternativè proponi?

62 Non una tantum sed plures actiones in eodem Libello cumulari possunt alternativè, eò videlicet sensu & effectu, ut, unà non probatà, probare liceat alteram. Est doctrina certissima, ab Ummio *cit. disp. th. 14. sub n. 68.* & passim ab aliis Authoribus probata; ac exemplis clariis, quàm rationibus statim illustranda.

63 Sic I. rei vindicatio cum interdicitis & remediis possessoris rectè cumulatur, adeò ut, si actor in decursu litis ad verat, se in probando dominio defecturum, ad possessorium decurrere possit, prout supponitur, & docetur in *cap. ad ultimum 2. cap. cum Ecclesia 3. cap. pastoralis 5. cap. cum dilectus 6. de Causa possessor. & propriet. l. si de vi 37. ff. de Judio. l. ordinarii 13. Cod. de R. V.*

64 Sic II. actio publiciana cum rei vindicatione

ne perquam utiliter conjungitur, & res jure domini vel quasi sic petitur, ut, probatione de dominio vacillante, titulus duntaxat & bona fides probetur per *cap. Abbate 3. §. perro 8. ad se jure domini vel quasi perimere de Sentent. & re Judio. in 6. & l. hoc interdicitum 1. §. 4. v. hæreditatis petitionem instituendam, & hoc interdicitum reddendum ff. Quod legator. Hocque in foro observatur testibus Gaill. *1. obs. 62. n. 4. & seqq. & Lauterbach ad tit. ff. de Publician. in rem actio. §. 14.**

Sic III. remedium nullitatis cum remedio restitutionis in integrum commode proponitur; potestque actor in casum, quò negotium declarabitur esse validum, auxilium restitutionis implorare juxta textum concludentem in *cap. constitutus 8. de in integr. Restitut. ubi casus hic refertur, & probatur. Panormit. in *cit.**

cit. cap. n. 9. Gaill. cit. l. n. 7. Vantius de nullitate, process. tit. 6. n. 8.

66 Sic IV. potest hæreditas peti disjunctivè, vel ex testamento, si quod adsit; vel ab intestato: quò casu, si institutio nequeat ex testamento probari, aut appareat, testamentum nullitate infectum esse, actor ostendit, se proximè testatoris agnatum esse, sicque hæreditatem ab intestato evincit. Ummio *cit. disp. obs. 14. n. 68. in fin.*

§. III.

Possintne plures actiones in eodem Libello conjunctivè proponi?

67 Non eadem sententia de cumulatione actionum conjunctivè faciendà, ut plures simul proponere & probare liceat, teneri potest, quam de cumulatione alternativè mox tenuimus. Distinguedum porius est inter actiones, utrum ex eadem causà proveniant, vel ex diversa; utrum ad unam eandemque rem tendant, vel ad diversas; utrum pœnales sint, an rei perceptoriarie? Quà distinctione supposità,

68 Dico I. Plures actiones, ex diversis causis ad res diversas ortæ & ordinatæ, possunt in eodem Libello conjunctivè proponi, eò sine, ut unò Judio unaque sententià terminentur, si modo contrariæ non sint. Prima & secundà pars conclusionis de cumulatione actionum, earumque simultanea terminatione, eruitur partim ex *l. si fundum 11. in princ. ff. de Jurisd. partim ex *l. ult. Cod. de Praescript. 30. vel 40. annor. Traditur à Gaill. 1. obs. 63. per 100. Brunnem. ad cit. l. ult. num. ult. Ummio *cit. disp. 6. th. 13. num. 61.* & in summa fundatur æquitate: quia sic licet minuantur, & ubi alias crebris foret judicandum, semel tantummodò judicatur.**

69 Tertia pars desumitur ex *l. singulis 6. ff. de Except. rei judic.* ubi dicitur, *singulis controversis singulas actiones, unumque Judio sine sufficere, maxime si diversa pronuntiantur. Concordat textus in *l. fundum 16. l. fundi 18. ff. de Exception. Cujus ratio est: quia contraria & repugnantia non tantum Philosophia, sed etiam Jurisprudencia abhorret per text. in *l. hoc verba 124. §. disjunctivum ff. de V. S. Unde non possum in eodem Libello per rei vindicationem fundum, & simul in eodem fundo per actionem confessoriam servitutem petere: quia, dum assero, fundum esse meum, simul affirmo, servitutem in eo mihi non competere: eò quòd res sua nemini serviat *l. quidquid 10. ff. Commun. prador.****

70 Dico II. Plures actiones reales respectu ejusdem rei simul & semel intentari nequeunt. Textus in *l. & an eadem 14. §. 2. ff. de Except. rei judic.* & ratio est: quia, sicut eadem res non potest sæpius & pluries esse mea, quàm semel; sic etiam pluries non potest repeti. Adeoque, dum una actio realis v. g. rei vindicatio, instituitur, altera, v. g. publiciana, perimitur *arg. l. qui servum 34. §. 1. ff. de 720. & A. Exceptio est in remedio possessoris, quæ cum rei vindicatione sic cumulari possit, ut simul tractari debeant, dictum est in *trac. l. cap. 6. à num. 29. Card. de Luca de Judio. disp. 1. §. n. 6.**

mento probari, aut appareat, testamentum nullitate infectum esse, actor ostendit, se proximè testatoris agnatum esse, sicque hæreditatem ab intestato evincit. Ummio *cit. disp. obs. 14. n. 68. in fin.*

Neque reponas: rei vindicationem saltem 73 cum remedio retinendæ possessionis cumulari non posse; quasi naturalis & civilis ratio dicat, ut alius petat, alius possideat *§. retinenda 4. Inst. de Interdict.*

Contra enim est: quia, qui rem vindicat, 74 & simul possessionem retinere contendit, asserit, se Dominum & possessorem civilem esse, ab alio tamen possessionem solum de facto, naturaliter, aut impropiè haberi per *l. officium 9. ff. de R. V.* In quo nulla contrarietas aut falsitas, sed summa convenientia, veritas, & æquitas apparet, Ulpiano in *l. naturaliter 12. §. 1. ff. de A. vel A. P. Rotæque Romanæ in recent. p. 6. decis. 226. n. 20.* dilucide probata. Fachin. *lib. 8. contror. cap. 6.* Hinc 75 ex eadem ratione *cit.* de Luca probat, remedium retinendæ cum remedio recuperandæ possessionis cumulari posse, ut nempe immisio seu redintegratio possessionis referatur ad confirmationem possessionis, quæ civiliter & animò jam tenebatur, naturaliter tamen & de facto ab alio erat turbata vel occupata. Rota *d. decis. 226. n. 21. & seqq. & decis. 78. n. 2. & seqq. Pothius de Manum. observ. 77. num. 75. & seqq.*

Dico III. Plures actiones personales & rei 76 perceptoriarie, si ex eademque causa subriantur, non possunt in uno eodemque Libello cumulari; secus, si ex causà diversa, quarum utraque lucrola non est, proveniant Pri 77 mum membrum conclusionis radicatur in *l. qui servum 34. §. 1. ff. de O. & A. ubi dicitur, quòd, si commodatarius rem commodatam surripuerit, commodans duplicem actionem habeat, actionem commodati, & conditionem furtivam; una tamen per alteram perimatur, hoc est, unà instituta, non liceat alteram instituire, vel in eodem vel in diverso Judio. Similia in *cit. l. §. 2. immediatè seq. l. plura delicta 53. in princ. ff. eod. repetuntur.* Ratio est: quia bona fides non patitur, idem 78 ex eadem causà bis exigi *l. bona fides 57. ff. de R. F.* neque eò sine plures ex una causà proditæ sint actiones, ut omnibus uti liceat, sed ut laxior agendi sit facultas *l. cum filius 76. §. pen. ff. de Legat. 2.**

Membrum secundum fundatur in *l. non est 79 nozum c. ff. de Act. empti*, ubi Ulpianus edidit, Titium, qui rem eandem duobus successivè vendidit, Sempronio & Mævio, posse à Sempronio, si hæres Mævii exierit, ex utraque emptione conveniri; item in *l. si is qui Stichum 18. ff. de O. & A.* ubi Julianus admittit, Stichum, stipulatione promissum, posse bis

bis exigi a stipulatore, si hæres extiterit alteri, cui idem Stichus testamentò legatus erat. Ratio est: quia, ut Ulpianus in *cit. l. non est novum* advertit, non tam una quàm duplex res esse censetur, quæ duplici jure debetur: unde petita unò titulo, non prohibetur iterum aliò peti, vel quoad se, si necdum prælitata fuerit; vel quoad actionem per *l. quod in hære de 9. §. 1. ff. de Tribur. aut.*

81 Tercium membrum de causa lucrativa, quòd una eademque res ex ejusmodi causa & actione duplici nequeat dupliciter peti, præcipitur ex *l. omnes debitores 17. ff. de O. & A.* Cujus ratio est: quia causa lucrativa, quamvis duplex sit numerò, una tamen formaliter & specificè reputatur: forte quia in donationibus non sumus liberales quoad faciendas interpretationes; & ut axioma fert, fatua quoque causa à donatione excusat.

82 Dico IV. Actio pœnalis rectè cum rei persecutoria simul intentatur; plures autem actiones pœnales eatenus simul intentantur, quatenus, quòd minus est in una, liceat consequi per alteram. Textus, anteriorem conclusionis articulum ostendentes, extant in *l. ff. pro fure 7. in pr. ff. de Condit. furti. l. qui servum 34. §. 2. ff. de O. & A.* in quibus statuitur, conditionem furtivam cum actione furti; uti & actionem commodati cum actione Legis Aquiliæ, quatenus continet æstimationem damni quanti plurimi, non ineptè cumulari possunt.

83 Ratio est: quia actio rei persecutoria tendit ad alium finem, quàm actio pœnalis;

illa ad rem consequendam; ista ad præsequendam pœnam §. ult. *Inst. de Obligat. quæ ex delictis &c.* adeoque nil impedit, quò minus utraque in eodem Libello deferatur ad Judicium.

Textus, posteriorem conclusionis articuli §. 5 lum evincentes, sunt in *cit. l. 34. in pr. ff. de O. & A. l. qui rem 1. ff. de vi bon. rapt.* ubi actio Legis Aquiliæ cum actione injuriarum; uti & actio furti cum actione de vi bonorum raptorum eatenus cumulativè conceditur, ut, quòd minus est in una, liceat per alteram adipisci. Ratio est: quia, quàm diu aliquid est debitum, & non solum, potest exigi; absque eo, quòd idem bis exigi videatur. Sed, quando in una actione aliquid superest, quòd per alteram actor non accipit, adhuc aliquid est debitum & non solum. Ergo &c.

Hæc de actionibus civilibus inter se. An 87 actio civilis cum criminali possit conjungi? Jam dubium omne apud nos præcibus est, quando in *tratt. de Judic. cap. 6. à n. 49.* non tantùm hanc cumulationem supposuimus, verùm etiam modum & ordinem, hujusmodi causas concurrentes discipantia, præscripsimus. Textus etiam videri possunt 88 in *l. si simulato 1. ff. de Condit. l. un. Cod. Quando civil. actio crimin. præjud. l. quòd evitandis 5. Cod. de Condit. ob turp. caus. & deluper conferri Card. de Luca de Judic. cit. disp. 15. n. 7. & 8. D. Gletle in *Jurisprind. terrib. tom. 1. cap. un. §. 7. n. 13. & seq. nec non D. Fleck cit. lib. 5. tit. 29. à n. 5.**

SECTIO III.

De Effectu Libelli.

SUMMARI A.

89 Libellus oblati obligat ad prosequendam causam. 90. Si inter sit rei, causam continuari. 91. Perpetuat actiones annales. 92. Requirit sententiam sibi conformem. 93. Probat contra Libellantem. 94. Clausula Libelli frequenter annexantur. 95. Aliqua sunt protestatoria. 96. Sed absque effectu. 97. Alia reservatoria. 98. At sint momento. 99. & seq. Quadam petitioria. 101. & seq. Et ista sunt efficaciae quo-

ad expensas & fructus repetendos. 105. & seq. Et suo sensu quoad plures actiones. 107. Videtur, quòd oblatio Libelli præscriptionem interruptat. 108. & seq. Ostenditur, quòd non. 112. Excipiuntur casus, quòd reus est absens. 113. & seq. Dividitur l. ult. Cod. de Annali except. 115. & seq. Sumptus Libellari à quo refundendi? queritur, & cum distinctione resolvitur.

§. I.

Quòs nam effectus generatim Libellus producat?

89 Effectus, quos Libellus ritè concinnatus generatim operatur, sunt sequentes. I. obligat offerentem, ut causam, Libello inclusam, prosequatur, & perducatur ad finem.

90 Nov. 112. cap. 3. indeque transumpta *Aurb. qui semel Cod. Quomodo & quando Judex &c.* Sed hoc constitutum creditur in favorem rei, cuius si nihil inter sit, litem non continuari, poterit libellans nihilofecius à lite desistere arg. *l. postquam 4. & ibi Brunn. Cod. de Pæf. P. König cit. tit. n. 5.*

91 II. actiones prætorias annales perpetuat,

easque tam activè quàm passivè facit in hæres transire, quando Libellus oblati est Principi, isque rescriptis *l. dubium 1. & l. seq. Cod. quando Libellus Principi datus &c.* quia, ut scribunt Imperatores in *d. l. dubium*; talis oblatio, *subscritta rescriptione*, pro litis contestatione reputatur. Ummius in *Proc. disp. 5. th. 3. n. 14. Brunnem. ad cit. l. n. 3. & 5.* Perez in *Cod. ad d. tit. n. 1.*

III. sententia debet Libello conformiter 92 pronuntiari, quoad quidditatem, quantitatem, & qualitatem rei petite. 8 Textus sunt

in *cap. qualiter & quando 24. de Accusat. prope fin. Clem. spe 2. §. verum de P. S. l. ut fundus 18. ff. Communi divid. l. cum queritur 2. cum 2. seqq. l. cum hoc 27. ff. de Excepti rei judic.*

93 IV. Libellus probat contra Libellantem, quoad ea, quæ in Libello asserta sunt arg. *l. generaliter 13. Cod. de N. N. P. S. Rota Romana in Recentior. part. 4. tom. 3. decis. 527. n. 3. & part. 10. decis. 72. n. 1. Pax Jordan Elencbrat. divers. lib. 14. tit. 3. n. 46 & seq. Stryck in diff. de Libello (quæ reperitur in *differt. Francofurt. vol. 1. n. 14.*) cap. 9. n. 3.*

§. II.

An speciale effectum producant clausulæ, Libello adjunctæ?

94 Proximorum sæculorum praxis, ut loquitur Stryck in *usu mod. pand. ad cit. tit. ff. de Ed. §. 5.* multa adinvenit, quæ Juri ignota, Libellis tamen, tanquàm magni ponderis momenta, adjici consueverunt. Solentque ejusmodi additamenta Libellorum vocari clausulæ salutares, quarum aliquot hic referemus, &c., num speciale quid operentur, discipiemus.

95 Prima clausula est protestatoria, quæ actor in fine Libelli protestatur, se nolle adstringi ad probationes superfluas. Commendant hanc clausulam Socinus, Colerus, Schraderus, &

96 Welenbecius *consil. 251. num. 2.* Sed commendatione indignam reputant post Baldum Ummius de *Proc. disp. 6. th. 12. num. 55. Brunnem. de Proc. cap. 5. n. 15. in fin. Stryck. cit. §. 6. Miller ad Struv. cit. exercit. 5. th. 39. lib. b.* quia nil juvat, protestari contra probationes, à quibus actorem Jura pronuntiant immunem. Atqui à probationibus superfluis actorem Jura pronuntiant immunem, imò probare sic volentem prohibent in *Aurb. in isto Cod. de Furejur. propter calumn. l. ad probationem 21. Cod. de Probat. l. quisquis 15. §. inanimibus Cod. de Rescind. vend. Ergo &c.*

97 Secunda clausula est reservatoria, quæ actor sibi reservat jus mutandi, emendandi, augendi &c. Ratione cujus post licem contestatam quidpiam addere vel detrabere Libello, concessum esse, quidam existimant cum Lan-

98 franco apud Umm. *cit. th. num. 58.* Sed, quemadmodum reservatio cujuscumque juris sumo operari nequit, quàm Leges permittant: sic etiam reservatio juris mutandi &c. plus operari non poterit, quàm Leges permittant. Adeoque, stantè hæc clausulâ, non licebit quidquam mutare, augere, emendare, nisi quòd licere, præcisâ hæc clausulâ. §. seq. docet. Ummius *d. l. Carpzov. p. 1. const. 11. def. 4. Berlich. p. 1. concl. 28. n. 34. Stryck cit. loc. §. 9.*

99 Tertia clausula est petitioria, quæ actor hoc vel simili modo petit, *super omnibus, quæ petita sunt, & de Fure. Statuto, aut consuetudine petiposissent, vel debuissent, jus & justitiam omni meliori modo administrari, implorandò de super nobile Fudicis officium.* Hanc quoque clausulam, utut ab Obrechtò de *formand. Libell. cap. 16. num. 15. Welenbec. d. consil. 251. n. 32.* summo perè celebratam, tantâ amplitudine, quam

ipfi adstruunt, quòd omne Libelli vitium fanet, neutiquàm pollere, scribit laud. Stryck. §. 6. eò quòd Judex aliunde teneatur ea supplere, quæ Juris sunt; ea econtra, quæ facti sunt, supplere nequeat, nisi ex actis reluceant, prout dictum in *tratt. l. de Judic. cap. 2. à num. 69.* Monet nihilominus idem Stryck in §. 8. in *108 pr. & fin.* eandem clausulam, cum ubivis magni à Judicibus aestimetur, non esse negligentiam. Et ego quoque non negligentiam, nec omnipenitus effectu vacuum, existimo. Facit nimirum, ut, si quæ judicis officio nobili adjudicanda sint, adjudicari debeant, tamen si non petantur, ut probè advertit Ummius *cit. th. 12. sub n. 57.* In specie verò operato 102 tur memorata clausula, quòd fructus & expensæ judiciales debeant adjudicari, quamvis nulla in Libello specialis mentio vel petitio facta sit. P. Engel ad *b. r. num. 6. Stryck cit. disp. cap. 9. n. 20. & seq.* Equidem per 103 multi sunt, qui putent, non tantùm fructus esse necessitate adjudicandos per textum in §. *cit. in rem 2. Inst. de Offic. Jud. l. & ex diversis 35. §. 1. ff. de R. V. l. restituere autem 35. l. restituere in 75. l. cum prator 81. ff. de P. S. sed etiam expensas per *l. eum, quem temere 79. in princ. ff. de Judic. l. propterandum 13. §. 6. l. sancimus 15. Cod. eod.* esto nec expensæ nec fructus petiti fuerint. Sunt tamen alii, qui negent, 104 incumbere Judici necessitatem, vel in fructus, vel in expensas, citra præviam implorationem officii, reum condemnandi, ut videre est apud Gail. *l. obs. 152. n. 21. Ummium d. th. num. 57. Blum. de Proc. Cam. tit. 69. num. 52. Stryck d. l.* Igitur longè consultius & securius erit, posteriorem clausulam adjicere, quàm omittere.*

Præterea eadem clausula facit, ut, si quis 105 plures actiones in judicium deduxerit, illa, quæ cæteris est pinguior, aut efficacior, deducta censetur, per ea, quæ tradit Card. de Luca de *Judic. disp. 8. num. 8.* ubi tamen in *num. seq.* mox seipsum magis explicat, quòd 106 iste actiones debeant ad idem jus vel eandem rem tendere: clausulæ siquidem salutares, tanquàm accessorie & consecutivæ, restringendæ sunt ad specificata pro eorum certiori & efficaciori consecutione, ne alias detur accessorium sine principali; & si actor v. g. domum petierit, à Judice vinea decernatur.

